

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Parentes q cum fonte primo

Quod enim est in herbis aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut enim herbe ex humore nascuntur et crescunt, sic homines per amorem incipiunt et augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices sed sursum transmittit in semen; sic et amor de parentibus ascendit in filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt sed non sic diliguntur a filiis, quia sicut herba non deorsum sed sursum ad semen transmittit humorem, sic et homo non ad parentes sed ad procreandos filios transmittit affectum.

Crisostomus super illud Matthei XIX.:
Relinquet homo patrem et matrem et cetera.

Quod enim est in herbis aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbae ex humore nascuntur et crescunt, sic homines per amorem incipiunt et augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen: sic et caritas de parentibus ascendit in filios; de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur a filiis: quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem, sic et homo non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaem*, 32 (PG 56, col.800-1).